

ne feceritis domum patris mei mercatum, dicunt: Persuade nobis signo aliquo, quod filius dei sis tu, & quod illinc missus sis. Vnde enim manifestum, quod pater tuus sit qui domus illius est dominus? At ille per ænigma eis respondit: Soluite, dicens, templū hoc: corpus omnino suum dicens, eo quod in ipso habitabat omnis diuinitas unigeniti. Vbi autē dixit, Soluite, nō exhortatus est ad cædem, absit: sed quoniam sciebat facturos certō, euenturum affirmat. Audiant uero Ariani, quomodo sicut dominus & mortis destructor dicat, Excitabo: non enim dicit, Excitabit pater: sed, ego excitabo, propria uirtute usus, nullāq; externa indigens. Caterū Iudæi de inanimato templo ipsum dicere autumantes hoc derident eū: Quū quadraginta & sex annis sit ædificatum, quo pacto (dicunt) tu dicis in tribus diebus te excitaturum? Sciendum autem, quod quando à Solo mone templum primo extructum est, triginti annis omnia perfecte absoluta fuerūt: postea autem post captiuitatem, Hebræi accepta potestate illud reædificandi, cœperūt quidem sub Cyro rege ædificare, impediti autem ab his qui inuidebant eis, prorogarunt structuram usq; ad Artaxerxen regem, sub quo nacti omnium rerū copiam, omni studio uix potuerunt perficere opus. Vnde & dicitur, Iudæos ædificantes altera manu gladium, altera ædificatorium instrumentum tenuisse, usq; adeo timebant uicinos Idumæos, non autem Persas, à quibus (ut dixi) omnes accipiebāt sumptus. Istam itaq; structuram quæ post captiuitatē, aiunt quadraginta sex annis factā, eo quod prohiberentur & impediretur Iudæi à Cyro usq; ad Artaxerxen. Et non est miraculum, quod Iudæi miraculum non agnouerint, quādo quidem neq; discipuli cognoscebant. Obstabāt enim duo magna: unum quod resurrectio per se tam difficilis captu, immo omnibus ignota esset, alterum quod deus corpus eius inhabitaret. Etenim post resurrectionē cognouerunt discipuli, & crediderunt scripturæ. Cui scripturæ omni quæ de resurrectione tradit, manifestissime autem ei quæ dicit: Nō derelinques animam meam in inferno. Et illis: Dominus uoluit purificare eum à plaga, ostendere lumen. Manifeste enim illa de resurrectione dicuntur. Apollinarius autem tentat hoc loco patrocinium suæ hæreseos inuenire. Volens enim persuadere inanimatam esse carnem domini, dicit quod templum dicatur caro, templum autem inanimatum sit, inanimata ergo & caro est. Attonite & uersute: tu autem & ligna & lapides domini carnem facies, quando quidem ex his est templum. Quando autem audieris dominū, Nūc turbata est anima mea, & Potestātē habeo ponēdi animam meam: quomodo ea intelligis? Quod si tu non de mentali & rationali anima hæc dicta asseris, quō referes hoc: Pater in manus tuas cōmēdo spiritum meum? Vtiq; hoc de inanimata anima non intellexeris. De hoc autem, Non derelinques animam meam in inferno: quid tibi uidetur? at tu propter tua corrumpis.

Quum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomen eius, uidentes signa eius quæ ædebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes: nec opus haberet, ut quisquā testaret de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

CAPVT III.



Rat autem homo ex pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quod à deo uenisti magister. Nullus enim hæc signa potest facere, quæ tu facis, nisi deus sit cum eo.] Videbantur quidem nonnulli credere in nomine Iesu, quum esset in festo, sed non firma illorum fides erat: ad tempus enim attendebāt Christum, non ut deo, sed ut hominī qui deo afflabatur: ac iterum à fide illa contemptibiles excidebant. Nam quod tales fuerint, manifestum ex sequentibus. Iesus enim ipse, inquit, non credebat se eis: neque omnia dogmata, ut his qui uere credunt, concedebat. Scrutator enim est cordium, & scit quid sit in homine. Non enim ignorat quales sint cogitationes in singulis hominibus. Ferme & Nicodemus talis erat, qui & ipse credebat Iesu, ut uideat pro domino contra Iudæos loqui, quod oporteat cū scrutatione, & ex animo cōdemnari illum: sed post crucem multum officij & liberalitatis in sepultura.

exhibuit. Cæterum quia nō, ut oportebat, credulus erat, & adhuc in infirmitate Iudaica tenebatur, nocte quidem uenit ad Iesum, propter timorem Iudæorum. Magistrum autem ipsum uocat, quasi purum hominem: talem enim opinionem de eo conceperat. Idcirco & subdit: Nullus potest talia facere, nisi deus sit cum eo. Vides quod sicut ad prophetam, & hominē dilectum à deo, accedit ad Iesum? Quid igitur dominus? Non arguit, neq; dicit: Quare igitur ad magistrum qui à deo missus est uenisti nocte? quare non fidenter & publice accedis? Nihil horum dicit, sed late ei de diuinis & sublimibus disserit. Nota autem, quod quamuis Christus multa fecerit miracula, nullum tamen illorum narrat Euangelista, uel quod ab alijs traduntur Euangelistis, uel quod maiora sint quam quæ particulatim recenseantur.

Respondit Iesus & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit supernè, nō potest uidere regnum dei.] Videntur uerba quæ à saluatore dicta, nihil alludere ad ea quæ à Nicodemo dicta: at si quis recte perueriderit, ualde cōgruere inueniet. Quādoquidem Nicodemus humilem de Christo habebat opinionem, nēpe quod magister esset, ac deus esset cum illo. dicit ei dominus: Merito ita de me sentis: nondum enim natus es supernè, hoc est à deo spiritali natiuitate: sed quia carnalis es, & cognitio quam de me habes, non est spiritalis, sed animalis & humana. Ego autem dico tibi, quod nisi tu, & quisquis alius fuerit, supernè, & ex deo nati fueritis, piā & dignā de me opinionem habueritis, extra regnum coelorum estis. Natiuitas enim per baptismum, illuminationem præbēs animæ, regnum dei, hoc est, unigenitum illius filium uidere, hoc est intelligere, dat. Nam sicut dei sapientia filius est, ita & regnū quoq; dei dicitur. Hoc sanè regnum nemo uidet, hoc est intelligit ò Nicodeme, nisi natus fuerit à deo: atq; ita & tu, quoniam nondum es natus spiritaliter, propterea non uides me regnū dei, sicut oportet: sed humilem opinionem de me habes.

Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, quum sit senex? Num potest in uentrem matris suæ iterum introire ac renasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum dei.] Audiens Nicodemus doctrinam plus quam humanam, stupefcit, & passus humanum quiddam interrogat, quomodo potest: id quod incredulitatis est signū. Vbi enim fides non est, illic quæritur, quomodo hoc, & quare hoc: propterea & ridicula Nicodemī uerba apparent. Neq; enim intellexit spiritualem natiuitatem, sed mentionem corporalis uentris facit. Postquam enim audiuit, nisi quis *ἄνωθεν*, ē supernis fuerit natus: existimauit *ἄνωθεν* ab initio, & denuò, atq; tale quippiam dici, nisi quis ab initio & denuò nascatur, & propterea dicit: Quomodo potest is, qui senex est denuò intrare in uterū matris suæ? Nam duo illum faciebant perplexum, natiuitas scilicet spiritalis, & regnum. Neq; enī nomen regni coelorum auditum erat aliquando apud Iudæos. Nunc igitur de natiuitate dubitat: propterea & Christus ei manifestius spiritalis natiuitatis modū reuelat: Nisi quis nascatur, dicens, ex aqua & spiritu. Homo quum ex duobus cōstet, ex corpore & anima, habet natiuitatis quoq; modum duplicem. Aqua enim si uisibiliter accipiat, ad corporis pertinet purificationem: spiritus uero inuisibiliter concurrens, ad inuisibilis animæ regenerationem pertinet. Quod si rogas, quomodo aqua potest generare: inter rogabo & ego, quomodo semē & ipsum aquosum existens, potest in hominem transformari? Igitur sicut in corporali semine totum est gratiæ diuinæ, ita & in baptismo aqua subdita est, & spiritus omnia operatur, & inuocatio per preces, immo dei præsentia. Symbola enim sepulturæ & resurrectionis in aqua illa perficiuntur. Tres mersiones triduanæ sepulturæ symbola sunt: deinde regreditur homo, sicut dominus, fulgidior & clarior incorruptionis ferens indumenta, qui in aqua corruptionem summerfit.

Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ne admireris, quod dixi: Oportet nos nasci ē supernis. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, & quò uadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu.] Abducens dominus Nicodemum à carnali natiuitate, dicit: Quod natū est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est: hoc est, spiritalis est homo, qui natus per baptis-
mum.

sum. Per spiritum enim, spiritualement intelligere debes. Neque spiritus diuinus sit baptizatus, sed quum adoptionem filiorum in spiritu, & gratiam, & honorem suscepit, spiritalis esse meretur. Videns autem Nicodemum adhuc perturbari, dicit, Ne mireris: deinde sensibili exemplo docere eum tentat: Spiritus enim inquit, ubi uult spirat. A uento (inquit) discite maiora. Ventus enim, quem hoc loco uocat spiritum, ubi uult flat, & sonum eius audis, & ignoras tamen unde feratur. Nequit enim comprehendere uel prohiberi. Naturali enim potestate fertur in aliquem locum incertum. Ceterum ubi uult, inquit: non quod uentus uoluntatem habeat, sed (ut dixi) à natura indita illi potestas ostenditur. Si igitur uentum, qui spiritus est sensibus subiectus, ignoras quomodo & quò spiret, quomodo regenerationem à diuino spiritu curiosius inquiris? Si hic spiritus comprehendere nequit, multo minus sancti spiritus gratia legibus naturæ subdetur. Confundatur Macedonius, spiritus oppugnator, & qui antecessit illum Eunomius. Ille enim seruum facit spiritum, quamuis audierit hoc loco, quod uentus quò uult spirat: multo igitur magis spiritus sanctus liberiolem habet motionem, & quò uult & sicut uult operabitur. Eunomius uero in illo ipso peccans, & creaturam dixit spiritum, & in tantam peruenit peruatiam, quasi cognosceret deum, sicut ipse seipsum: audiat igitur, quod neque imperum neque finem sciat. Quomodo igitur dei substantiam cognoscet impostor?

Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es ille magister Israël, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur: & quod uidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis: quomodo si dixerò uobis cœlestia, credituri estis? Nicodemus adhuc in Iudaica imperfectione subsistit: propterea iterum rogat, quomodo possunt hæc fieri. Ideo & dominus monstrans ei, quod propter imperfectionem ita loquatur, dicit: Tu quum sis doctor in Israël, si recordatus fueris miraculorum quæ in ueteri testamento traduntur de formatione hominis & alia, quomodo formatus sit, quomodo ex latere uxor, quomodo prodigia in Aegypto, quomodo in mari rubro, quomodo sterilis pepererit, & similia, si hæc cōsiderares sicut doctor in Israël, non discredere his quæ nunc dico. Veruntamen ego quidem quod scio, dico: & quod uidi, hoc est clare cognoui. Neque enim corporalem uisionem significat, quum dicit uidimus, sed cognitionem certissimam. At uos testimonium nostrum, hoc est meum, non accipitis. Hæc autem dicit dominus, non ad Nicodemum, sed ad genus Iudæorum, qui usque ad finem increduli fuerunt. Igitur si terrena dixi uobis, & non creditis: hoc est, si de generatione quæ est in baptismo dixi uobis, & non recepistis, sed interrogastis dicentes, Quomodo? Terrenam autem hanc natiuitatem nominat, quod super terram facta sit in beneficium hominum: quamuis enim cœlestis sit secundum gratiam & honorem, at baptizamur quum super terram sumus. Si igitur de hac terrena natiuitate dicens, inueni uos incredulos: de supercœlesti natiuitate, quæ ineffabilis, qua unigenitus filius à patre natus est, quum audieritis, quomodo credetis? Quidam autem per terrenum intellexerunt similitudinem de uento: ita ut quod dicitur, ita se habeat: Si exemplum à terrenis dedi uobis, & neque sic persuasi estis, quomodo poteritis superiora discere?

Et nullus ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis, qui est in cœlis. Neque hoc uidetur cum his quæ præcesserunt recte contexti. At si quis diligenter inspexerit, apparebunt etiam illa bene coherere cum superioribus. Quia enim magistrum dominum & prophetam nominabat Nicodemus: ne putes me (inquit) quasi prophetam, qui de terra est à deo missum doctorem, sed è supernis me scias descendisse, ut filium, non & à terra esse. Nullus igitur prophetarum ascendit in cœlum, nisi ego solus ascensurus, qui & descendi. Filium autem hominis quum audieris descendisse de cœlo, ne existimes quod caro è cœlo descenderit. Hoc enim Apollinarius docuit, quod Christus habuerit corpus de cœlo, quod per uirginem transferit, quasi per canalem. Verum quia una hypostasis, hoc est una persona Christus ex duabus naturis constituta: ideo omnia quæ sunt hominis, dicuntur de uerbo: & iterum ea quæ sunt uerbi, attribuuntur homini. Sic & hoc quoque loco filius hominis dicitur descendere de cœlo, eo quod una sit persona, & una

hypostasis. deinde, ut ne quum audieris qui descendit, putes quod nō sit in cœlo, dicitur Is qui est in cœlo. Noli enim suspicari me propterea non esse illic, quia descendi: sed & hic assum corporaliter, & illic sedeo cum patre ut deus.

Num. 21.

Et sicut Moses exaltauit serpētē in eremo, ita exaltari oportet filiū hominis: ut omnis q̄ credit in illū, nō pereat, sed habeat uitā aeternā. Postquā dixit de regeneratione p baptismū, nūc dicit de beneficio, quod per crucē nobis factū est. Crux enim & mors auctor nobis sit gratiæ, quæ per baptismū data est: siquidē quū baptizamur, mortē dominī representamus. Nō dicit autē manifeste, crucifigendus sum: sed meminit serpentis & ueteris historiæ. Interim discimus uetera cognata nouis, & unū esse legislatorē ueteris & noui testamētī: tāetsi Marcion & Manichæus, & reliqua id genus hæreticorū cohors reprobēt dicētes, ueterē à malo opifice esse cōditā. Docet item, quod quū Iudæi uidētes aerei serpētis imaginē, mortē effugerint: multo magis nos ad crucifixū respiciētes & credētes, animæ mortē effugituros. Vide autē oro, figurā, & confer cū ueritate. Illic serpentis similitudo, formā quidē habet bestiæ, uenenū autē nō habet. Ita & hoc loco homo dominus, sed à peccati ueneno liber, in similitudine carnis peccati uenit, hoc est in similitudine carnis peccato obnoxia, quæ minime caro peccati esset. Et tūc qdē uidētes, euadebant mortē corporis: nūc autē qui uident, mortē animæ. Tūc quidē suspēsus, serpētium ictus sanabat: nūc autē spiritalis draconis plagas curat Christus. Exaltatū autē audiens, intellige quidē & suspēsum esse. In summo enim suspensus est, ut & aērē sanctificaret, qui terrā sanctificarat, in illa ambulādo. Intellige autē quid sit glorificari. Nam reuera gloria Christi, crux fuit. Per hoc enim q̄ uisus est cōdēnari, cōdēnauit huius mūdi principē: ut clarius dicā. Adā iuste mortuus est, peccarat enim: dominus iniuste mortuus est, non enim peccarat. Igit̄ usq; ad crucifixionē dominī, iuste præualuit hominibus mors. Quia autē absq; peccato inuētus est Christus, quid igit̄ in illo iuris habebat diabolus, ut occideret ipsum: atq; ita q̄ iniuste mortuus est, uicit eū à quo occisus: et sic liberauit Adamū à morte quæ iuste inferebat illi, utpote ei qui peccarat. Et aliter: Duo fuerūt quæ dominū habebāt in humanū genus, Voluptas & tristitia. A duobus autē illis inuictus reperiatur dominus. Nā assumpserat quidē illū in mortē, tētans per uoluptatē: & quū experiretur hac uia uinci nō posse, maiore postea machinā, tristitiā scilicet, adhibuit, ut salte p illā deuinceret: & propterea cōmouit omnes cōtra illū discipulos, ut negarēt: milites, ut illuderēt: prætereuntes, ut blasphemarent: & in summa, Iudæos, ut crucifigerent: & sic quoq; inuictū cōperit. Nō em̄ potuit crucis dolor efficere, ut crucifigētes haberet odio, sed diligebat eos, & pro eis orabat, dicēs: Ne statuas illis pater peccatū hoc. Vides quomodo uicerit p hoc ipsū, q̄ uidebat uictus esse. Sic igit̄ exaltatio & gloria eius, crux fuit.

Luce 23.

1. Ioan. 4.

Sic enim deus dilexit mundū, ut filiū suum unigenitū daret, ut omnis qui credit in eū non pereat, sed habeat uitam aeternā. Non enim misit deus filium suū in mundū, ut condemnaret mundū, sed ut seruetur mundus per eum. Mira dei erga mundū dilectio, & tanta, ut nō dederit uel prophetā, uel angelū, sed filiū suum, atq; illū unigenitum. Angelum si quidem dedisset, non erat res parua, eo quod angelus quidem minister eius fidelis & seruus, nos autē inimici & apostatæ: nunc autem dato filio, quanto excellentiorē dedit charitatem. Item si multos habens filios unū dedisset, & hoc maximū fuisset: nunc uero unigenitū dedit. Igitur bonitas digne laudanda est. Ariani autē dicunt, quod unigenitus dicatur, eo quod solus ipse factus sit & conditus à deo, omnia autē alia ab illo. Quibus simpliciter respōdemus: Si quidē unigenitus dictus fuisset, quū nō esset filius, haberet rationē impudens uestrum commentum: at nunc quū non solum unigenitus, sed & filius dicitur, nō permittit sic intelligere: sed uult illum solum ex patre natū. Vide autem oro, quod sicut supra dixit filium hominis descendisse de cœlo, quamuis nō descendit caro de cœlo: sed propter unā personam & unam hypostasim, ea quæ dei sunt attribuit hominī: ita & hoc loco, ea quæ hominis sunt, attribuit uerbo deo. Dedit enim (inquit) deus filium suū in mortē, quamuis impassibilis permanferit deus: attamen quia unus & idē fuit per hypostasim, & qui uerbū dei, & q̄ homo pro nobis patiens, filius dicitur esse, datus esse, inquantū & uere passus: nō in sua natura, sed in sua carne. Quod autē

lucrum

lucē dari filiū: o magnū & supra humanā mētē, ut omnis q̄ credit in illū, duo illa lucrēt: unū quidē, quod nō perit: alterū, quod uitā habet, atq; uitā aeternā. Vetus enim lex promittebat, eos qui in illa deo placebant, implendos longitudine dierū. Euangeliū autē non tēporariā uitā largitur, sed aeternā, & indissolubilē. Quia enim duo sunt aduentus Christi, & ille qui fuit, & ille qui uenturus est: de priore aduentu dicit, quod nō missus sit filius, ut condemnet mundū: Quia si propter hoc uenisset, condemnati fuissent utiq; omnes: Omnes em̄ peccauerūt, sicut & Paulus dicit, sed primū ad hoc uenit, ut mūdū seruaret, Rhom. 8. atq; hac intentio eius fuit: per accidens autē iudicat eos, qui non crediderunt. Lex enim Mosaiica praecepsit, ut reprehenderet peccatum, & cōdemnaret prauaricātes. Nulli em̄ ignoscit, sed simul atq; inuenerit peccatē in aliquo, poenā infert. Itaq; primus aduentus nō propter iudiciū factus, nisi per accidens iudicans eos qui nō crediderūt, qui iam iudicati sunt. Secundus uero erit, ut omnes iudicet, & unicuiq; secundum sua opera faciat. Qui credit in filiū, nō iudicatur: qui uero nō credit, iā iudicatus est: quia non credidit in nomē unigeniti filij dei. Hāc est autē cōdēnatio, quod lux uenit in mūdū, & dilexerūt homines magis tenebras quā lucē. Erant enim eorū opera mala. Omnis enim qui mala agit, odit lucē, nec uenit ad lucē, ne arguantur opera ipsius. Qui autē operatur ueritatē, uenit ad lucē, ut conspicua fiāt facta ipsius, quod per deū sint facta. Quid est, qui credit in filiū nō iudicatur? Nunquid si immūdā egerit uitā, nō iudicatur? maxime quidē, nō em̄ uere fideles sunt eiusmodi, ut Paulus dicit. Deū enim inquit, fatētur se scire, operibus autē negant. Veruntamē hoc loco dicit, quod propter ipsum credere, non iudicatur, dabit autē poenas graues malorū operū: propter incredulitatē autē quā non habet, nō punietur, semel enim credidit: at qui non credidit, iā iudicatus est. Quomodo? primum quidē, quoniam & ipsa incredulitas cōdēnatio est. Esse enim extra lucē, per se maximum supplicium est. Deinde, quāuis nō hic geennae traditus sit, sed cōgregauit hic futuri supplicij occasiones: sicut & homicida, tametsi non sententia iudicis cōdemnetur, natura tamen rei cōdēnatus est. Et Adā die quo comedit de ligno, mortuus est: & quāuis uiueret, sententia tamen & natura rei mortuus fuit. Omnis igitur incredulus, cōdēnatus est, qd̄ hinc migrās mox supplicio tradendus, & nō in iudiciū producendus, iuxta illud: Nō resurgēt impij in iudicio. Indigni em̄ habent, ut rationē dent impij, sicut & diabolus. In iudiciū igitur nō resurgent, sed in cōdēnationē. Ita & in Euangelio dicit dominus, quod princeps huius mūdī iā iudicatus sit: nō solū quod ipse nō crediderit, sed & ludā pditorē fecerit, & alijs perditiōis fuerit author. Quāuis autē dominus in parabolis adducat puniendos, quasi eos à quibus sumat ratio: ne mireris. Primū quidē eo ipso, quia parabolae sunt ea quae dicunt, nō oportet omnia quae in parabolis dicuntur quasi canones ac leges assumere. In die em̄ illo unusquisq; cōscientiā habens pro iudicio qd̄ falli nequeat, nō opus habet alio qui reprehendat, sed semetipsum quisq; cōfutabit, ac abibit. Deinde dominus nō inducit incredulos, quod mereant ut rationē reddāt, sed credentes quidem, at immisericordes. Nos autē de impijs & incredulis loquimur. Aliud autē est impius ac infidelis, & aliud immisericors & peccator. Hoc est iudiciū, quia lux uenit in mūdū. Ostēdit hoc loco infideles omni excusatione destitutos. Ista em̄ cōdēnatio est, inquit, quia uenit ad eos lux, & neq; sic ad illā acceperunt. Non enim in hoc solo peccarūt, quod ipsi nō quæsiuerūt lucē: sed hoc pessimū est, quod lux ad illos uenit, & illam nō susceperūt. Eapropter & cōdēnati sunt. Nā si quidē nō uenisset lux, potuissent homines prætendere ignorasse se quid bonū: uerū quia uenit quidē deus uerbū, deditq; uerbū suū ut illuminaret, nō susceperūt autē illi, omni excusatione posthac carent. Ut autē nullus dicat, Nemo praeferit tenebras luci: ponit causam propter quam tenebris adhæserint homines. Erant em̄ inquit, opera illorū mala. Quia em̄ Christianismus nō solū recta dogmata, sed & honestā uitā exigit: ipsi autē uoluerūt luto peccati inuolui, ideo nolūt improbi ad lucē Christianismi uenire, & se meis subijcere legibus. Porro qui facit ueritatē, & cōtendit & aspirat ad uitā quae deo placeat, is ad Christianismū uti ad lucē accedit, ut magis in bono proficiat, & appareat eius opera secundū deū facta. Qui talis est cū fide recta, & uitā quoq; honestā instituit, lucetq; omnibus hoībus, & gloriatur in illo deus.

Eritā Gentilibus incredulitatis causa facta est immundicia uitæ. Sed forte dixerit quis: Quid igit, nō sunt & Christiani improbi, & Gentiles honestæ uitæ? Fateor & ipse qui dem improbos Christianos: at bonos Gentiles inueniri nō asseuerauerim. Et natura qui dem mansueti & boni reperientur quidā, sed non uirtute. Nam exercitatione & meditatione boni nullus inueniet: & quāuis boni quidā habiti sint, oīa tamē ad uanam gloriā fecerūt. Qui autē bonus, ppter gloriā, & nō propter bonū ipsum, si quādo tēpus inuenit, malis indulget cōcupiscētijs. Nā si apud nos & iterminatio geennæ, & oē aliud studiū, & uitæ innumerabiliū sanctorū uix cōseruāt hoīes i uirtute: quo pacto nugæ Gētilium illos in bono cōtinebunt? magna quoq; res fuerit, si nō & pessimos reddiderint.

Post hæc uenit Iesus & discipuli eius in terrā Iudæam, & illic morabat cū eis, ac baptizabat. Baptizabat autē & Ioannes in Aenon iuxta Salīm: quia aquæ multæ erant illic: & ueniebant ac baptizabantur. Nondū enim cōiectus fuerat Ioannes in carcerē. Erat Iesus Hierosolymis usq; ad paschæ festū, & postquā istud præterijt, exiuit in terrā Iudæam, & prope Iordanē uersabat, ubi multi cōueniebāt. Nō quærebat autē populosa loca, propter inanē gloriā uel ostētionē: sed cupiebat pluribus suā bonitatē cōmunicare & usui esse: quoniam & eā ob causam ad festū ascēderat, utpote plurimis pfuturus doctrina & miraculis. Audiens autē quod baptizaret, ne putes quod p se baptizaret, sed p discipulos: hoc enim discipulorū opus, in magistrum refert Euangelista: quandoquidem superius idem ille Euangelista dixit quod Iesus nō baptizaret, sed discipuli eius. Sed quæris, Quare nō ipse baptizauit? discē. Superius dixit Ioannes, quod ille uos baptizabit spiritus sancto. Spiritus autē sanctus nondū erat datus, eo quod nondū tempus erat. Igitur si baptizasset, uel absq; spiritu baptizasset: & qd igit præstabat Ioannes, uel dedisset spiritum, atq; ante tēpus, sed id indignū deo, qui in tēpore facit oīa. Quod autē tēpus dādi spiritū? tēp post assumptionē. Prōinde discipuli Iesu baptizabāt, ut plures ad saluatoris doctrinam adducerēt. Vnde & his baptizantibus, etiā Ioannes baptizabat, et nō cessabat, duobona faciens. Vnum quidem, quia ad se uenientes de Christo loquens ad illū adducebat. Alterū uero, quia curabat ne discipuli sui in maiore zelū & cōtentionē prouocarent: si enim cessasset baptizare, quid nō fecissent discipuli eius, alioqui maiori inuidia Christi persequētes? Nā quū sæpe clamarit, & primas semp Christo tribuerit, nō psuasit eis ut accederēt ad illū: in quātā ergo inuidiā impulsisset, si cessasset baptizare? Idcirco & Christus tūc maxime cœpit prædicare, quādo Ioannes inclusus est, ppter inuidiā discipulorū Baptistæ. Opinor autē pmissam Ioannis mortē maturari, ut oīs populus paratus ad Christum trāsiret, & nōdū diuiderent sententiæ de Christo & Ioanne. Baptizant igit discipuli Christi baptismo, qd nihil habebat amplius, quā baptismus Ioannis: ambo enim imperfecti, & nōdū habētes spiritū: eadēq; utriq; causa, ut adducant ad Christū baptizādū.

Orta autem est quæstio ex discipulis Ioannis cū Iudæis de purificatione. Et uenerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecū trans Iordanē, cui tu testimoniū perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad eū. Respondit Ioannes, & dixit: Nō potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datū è cœlo. Facta est quæstio p Iudæis quēdā de baptismo, contendētib; discipulis Ioannis. Nā Iudæus quidē præferebat baptismum discipulorū Christi: discipuli autē Ioannis baptismum suū magistri. Quū quæsitū esset ergo de purificatione, hoc est baptismo, accedunt ad magistrū suū, & incipiunt adulari ei, dicentes: Rabbi, qui erat tecum, qui in ordine erat discipulorum, ut à te discessit baptizatus: cui tu testimoniū dedisti, hoc est quē baptizasti, quē tu clarū fecisti, eadē nunc audet quæ tu. Sed & aliud: Ad te nulli nunc ueniunt, ad illū uero omnes. Omnes (inquit) ueniunt ad eum cōtempso te. Ioannes autē uolēs eos terrere, & ostēdere quod pugnet cōtra deū prohibentes Christū, & abstrahentes à glorificatione eius, dicit: Nō potest homo à se quicquam accipere &c. Nā nisi supernè (inquit) datū esset, ne utiquā creuisset is, cui inuidetis: & ita in duobus peccatis: nā & cōtrarij estis diuino cōsilio, & attentatis impossibile. Interim autē & consolatur eos placide, eo quod non sit homo qui uincat ipsos, sed deus. Quin & nos (ingit) supernè habuimus quod habuimus, nō à nobis. Quod si præclariora sunt quæ agit Christus, non oportet admirari: deus enim uult.

Ipsi uos testes estis, quod dixerim: non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocē sponsi. Hoc autē gaudiū meū impletum est: illū oportet crescere, me uero minui.] Ipsi (inquit) uos scitis, quod ego testimoniū dedi ei, quod maior me sit. Igitur si omnino meū attenditis testimoniū, discite illū mihi praeferēdū. Et hoc est gaudiū meū, quod illū omnes accedant. Si quidem non accessisset ad sponsum sponsa, hoc est populus, doluissem utiq; ego prubus: nūc autē quū hoc fiat, ualde gaudeo. Video enim sponsum Christū loquentē sponsae, populo scilicet, & docentē ipsum. Non simpliciter autē dixit, Qui stat. Ostendit enim finē esse operum suorū, & stare iam nō ultra operantem, & se nunc oportere stare, & solū audire Christum docentē & differentem sponsae. Meum enim inquit, opus perfectū est, & tradidi ipse populo. Oportet igitur meā quidē gloriam imminui, illius autē augeri. Igitur quomodo imminuitur gloria praecursoris, uel omnino si cut lucifer à sole occultatur. Et uidetur quidē multis quod extinctū sit lumen, at reuera nō est extinctū, sed à maiori occultatur: ita & praecursor uelut lucifer à spiritali sole occultatus, imminui dicitur. Crescit autē Christus, secūdū quod paulatim manifestat se per signa & miracula: nō secundū profectum in uirtutibus, absit: hoc enim Nestorij deliramentum esset: sed secundum ostensionem & manifestationem deitatis. Paulatim enim declarauit se deum esse, & non repente. Impletū igitur, inquit, meum gaudium in sponso. Nam meum opus, quod mihi cōcreditum, ut pronubo, uideo profecisse. Omnis igitur animae sponsus, dominus: thalamus autem ubi copula fit, locus baptismatis, hoc est ecclesia. Dat autem arrabonem sponsae, peccatorū remissionem spiritus sancti communionē: perfectiora uero in futuro, quando dignos in meliora & sublimiora introducet. Nota autem quod nullus alius est sponsus, quā solus Christus. Omnes autem docentes, pronubi sunt, sicut & praecursor quoq;. Nullus alius dator est bonorum, quā solus dominus. Alij autem omnes mediatores, & ministri bonorū quae à domino dantur.

Qui ē supernis uenit, super omnes est: qui à terra profectus est, terrenus est, & ē terra loquitur. Qui ē caelo uenit, supra omnes est: & quod uidit & audiuit, hoc testatur: & testimoniū eius nemo accipit. Qui accipit eius testimoniū, is ob signauit quod deus uerax sit. Nam is quem misit deus, uerba dei loquitur. Non enim ad mēsuram dat deus spiritum.] Comparat se praecursor Christo, & dicit quod ille quidem ē supernis uenit à patre, & super omnes sit: egregius super omnes, & paternam seruans excellentiā. Ego autem qui de terra sum, terrena loquor, uilia & humilia si cū doctrina Christi conferantur. Quamuis autē quae à praecursore fiebant, diuina erant, collata tamē cū his quae à Christo, ualde humilia apparebāt. Ille (inquit) quod uidit & audiuit loquit, hoc est quae à patre audiuit: & quae uidit, hoc est clare nouit, illa loquit & testatur. Et testimoniū eius nullus ex his qui ueritatē nō attendunt, recipit. Qui autē recipit testimoniū, hoc est doctrinā eius, ob signauit, hoc est mōstrauit & stabiliiuit qd' deus uerus sit. Qui em̄ credit ei, q' à deo missus est, deo credit: & cōsequēter ob signat & demōstrat, qd' uerū quiddā crediderit: sicut ē diuerso, q' nō credit ei qui à deo missus est, ostēdit qd' mendax sit, & ppter hoc nō credit ei, utpote mendaci. Et ita qui Christo credit, ostēdit quod deus uerax, ex eo quod credidit ei à quo missus. Manifestū enim, quod illi ut ueraci crediderit. Et meritō. Nos enim alij omnes ad mēsurā accepimus operationē spiritus, ipsi autem Christo nō ad mēsurā dedit unā uel duas uirtutes: sed ipsum spiritū integrū habet substantiāliter. Igitur & prophetis dedit deus spiritū, hoc est opationē spiritus, & ad mēsurā dedit: Christo autē nō ad mēsurā, & neq; omnino dedit: habet em̄ illū Christus substantiāliter. Quādo autē audis, quod Christus loquit illa quae audiuit à patre: ne putes illū indigere, ut sciētia ab illo discat: sed quia quaecūq; scit filius, à patre naturaliter scit, quasi illi cōsubstantialis, eius gratia dicitur à patre audire quae scit. Quēadmodū si uideris filiū patri per omnia similē, dicis quod omnia à patre habet, hoc est nulli similis est quā patri. Audiēs igitur missum esse, quasi radium intellige eum à solo patre missum esse. Nōne & ita dicere solemus, quod sol radios emiserit, hoc est miserit in terram, & nusquam radium alterius substantiae dicimus esse uel posteriorem quā sol: sic quoq; & filium missum esse

Gala. 4.

Rhom. 8.

Cave

Error grecor de spu sancto

à spiritali sole, scilicet patre, huic mundo, ueluti deradiationē, & radium, & lumen, & qualitercūq; quantū cōgruit, uocare illū uolueris. Nō intempestiuū autē fuerit hoc loco dicere, quomodo habeat filius spiritum, & quomodo dicatur spiritus filij. Dicit enim & apostolus: Spiritum filij sui in corda uestra misit, clamantē, Abba pater, & iterū: Si autē quis spiritū Christi nō habuerit, hic nō est eius. Sanē Latini male hæc exponentes, & minus recte intelligentes, dicunt quod spiritus etiā ex filio procedat. Nos autē hoc quidem primū dicimus ad eos, quod aliud sit esse ex quopiā, & aliud esse cuiusdā: ut spiritus est quidē spiritus filij absq; dubio, & ab omni scriptura approbatū: cāterū esse ex filio nulla scriptura testatur, ut ne duo principia spiritus introducamus patrē & filiū. Profecto inquit: Nā & inspirauit discipulis, & dixit: Accipietis spiritū sanctū. O desipiētia. Si tunc dedit discipulis spiritū quando insufflauit, quomodo postea dixit eis: Accipietis uirtutem superuenientis spiritus sancti super uos, non post multos dies: uel quomodo in Pentecoste credimus factū descensum spiritus? Siquidē in uespera diei resurrectionis dedit illū: tunc enim inspirauit. At hæc quidem ualde ridicula. Manifestum enim, quod tunc illis spiritum sanctū nō dedit, sed donū unū spiritus sancti, remissionē scilicet peccati: statim enim subdit: Quorū remisistis peccata. Habet autē spiritū filius substantialiter, ut cōsubstantialē sibi, nō à quo operationem recipiat, sicut propheta. Dicitur autē spiritus esse filij secundum quod ueritas, & uirtus, & sapientia: Spiritus autē sanctus, & ueritatis, & fortitudinis, & sapientiæ spiritus ab Esaia describit. Et aliter: quia per filiū hominibus datur, propterea filij dicitur. Crede igitur tu spiritum à patre quidem proficisci, per filium autem dari creaturæ: atq; hic sit tibi canon orthodoxæ doctrinæ.

Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manū. Qui credit in filium, habet uitā æternam: qui autē incredulus est filio, non uidebit uitā, sed ira dei manet sup eū.] Postquā dixit de Christo sublimia, nunc iterū humiliā loquitur, sermonem auditoribus attemperans, ut capi possit. Ideo dicit, Pater diligit filium: quasi de homine quodā admirabili loquens. Et omnia dedit in manu filij, iuxta humanitatē. Si autē & secundū diuinitatē, quid hoc? Dedit pater omnia filio ratione naturæ, sed non gratiæ: quoniā & esse à patre habet, meritō & omnia à patre dicitur habere. Habet igitur omnia filius, tam quæ in cœlo, quā quæ in terra. Dominat enim omnibus, etiam si quidā nolint. Postea uero in secundo aduentu, quando omne genu flectet ei, perfectum omnīū accipiet dominū: quando malicia nō ultra habebit uirtutē, sed inefficax manens ostēdet naturā boni à principio omnibus inditā, & omnia continentē. Qui credit in filiū, habet uitā æternā in ipso: illā dico Christū, qui uita est uere. In ipso enim uiuimus & mouemur. Qui autem incredulus est, non uidebit uitā. Nam qui sponte recessit à uita, quo pacto habebit eā quæ est Christus? sicut & Paulus inquit: Quādo Christus manifestatur uita nostra, tūc & nos qui ad maliciā mortui & immobiles facti, manifestabimur in gloria. Sed ira dei manet super illum: non dixit quod maneat illum, sed super illum, ostendens quod nunquā ab eo recedat: ut ne mortem credas temporalē, dicit quod maneat super eū qui incredulus fuerit, & perpetuū erit suppliciu. Per omnia autē uerba hæc inducit Baptista, & cōpellit auditores omnes ad fidē Christi. Non enim inuā hęc dixit, sed suos discipulos & alios omnes instruit ne inuideant Christo, sed ut deo auscultent.

A. 17.

Colof. 3.

CAP V T I I I I.



Ntergo cognouit dominus audisse pharisæos, quod Iesus plures discipulos faceret ac baptizaret quā Ioānes: quāquā Iesus ipse nō baptizaret, sed discipuli eius, reliquit Iudæam terrā, & abiit iterū in Galilæam. Oportebat autē eum transire per Samariā.] Misericors dominus semel propter nos incarnatus, omnia ad nostram salutem facit. Deniq; & nunc quum audisset, qd pharisæi de gloria ipsi audierint, & sciret cōtra ipsum ad inuidiā cōcitādos, secedit in Galilæā. Duo nos docēs: Vnū qdē, ut parcamus inimicis, & omni modo tētemus nō dare eis occasionē scandalī uel inuidiæ. Alterū, ne iniiciamus nos in tentationē insipienter & inutiliter, sed secedamus ad tēpus, donec infania resideat: quāuis autē potēs sit cohibere